Quelle: https://manuscripta.at/?ID=45
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Quid adhuc desideramus testimonium. Ipsi enim audiuimus de ore eius. Et surgens omnis multitudo eorum. duxerunt illum ad pylatum. Ceperunt autem illum accusare dicentes. Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram. et prohibentem tributa dari cesari. et dicentem se xpm regem esse. Pylatus autem interrogauit eum dicens. Tues rex iudeorum. At ille respondens ait. Tu dicis. Dixit autem pylatus ad principes sacerdotum et turbas. Nihil inuenio cause in hoc homine. At illi inualescebant dicentes. Commouet populum. docens per uniuersam iudeam. et incipiens a galilea usque huc. Pylatus audiens galileam. interrogauit si homo galileus esset. Et ut cognouit quod de herodis potestate esset. remisit eum ad herodem. qui et ipse ierosolimis erat illis diebus. Herodes autem uiso iesu. gauisus est ualde. Erat enim ex multo tempore cupiens uidere eum. eo quod audiret multa de illo. et sperabat signum aliquod uidere ab eo fieri. Interrogauit autem illum multis sermonibus. At ipse